Pataszowski Casim. Stanisl: Jus triplex ad doctoratem in Jure utroque honorem virtus, sapientia ac merita.

JUS TRIPLEX

Ad

Doctoralem in Jure Utroq; Honorem

VIRTUS SAPIENTIA AC MERITA,

in

Perillustri Clarissimo & Admodum Reverendo Domino

D. M. GASPARO TOPINSKI,

Juris Utriusq; Licentiato & PROFESSORE Ecclesiarum Col, legiatæ SS. OO. Crac: CUSTODE, PAROCHIALIS S. NICOLAI PRÆPOSITO.

dumq;

à

PERILLUSTRI & REVERENDISSIMO DOMINO

D. M. ANDREA KRUPECKI,

Juris Utriusq; DOCTORE & PROFESSORE, Ecclesiarum Cathedralis Crac: CANONICO, Premykoviensis PRÆPOSITO, in Niegardow Curato, Canonizationis B. IOANNIS CANTII PROCURATORE, Studij Almæ Universitatis Crac: SENIORE PATRE, & PROCANCELLARIO,

in Ecclesiâ Collegiata SS. OO. Cracoviæ

ritu Solenni

Juris Utriusq; DOCTOR

in Magna illustrium Hospitum Corona

Crearetur ac renuntiaretur.

Gratulatorio applausu

per

M. CASIMIRUM STANISLAUM PAŁASZOWSKI,

Philosophiæ Doctorem in Classibus Novoduorscianis Poëseos Professorem

PUBLICATUM.

Annô Legislatoris Magni; Saluti humanæ jura dantis MDCCXXI 13tio *Cal: Martij.*

CRACOVIÆ, Typis UNIVERSITATIS.

JUS TRIPLEX
Ad
Doctoralem in Jure Utroq; Honorem
VIRTUS SAPIENTIA AC MERITA,

AD eminentis possesionem honoris
multi sui voti compotes veniunt,
rari legitimam capessunt.
Contra jus equidem est, fasq; omne,
quòd aliqui insano desideriô ducti
se ipsos cùm nequeant frenare,
suis viribus majora petunt,
Illicitos quæritant modos, ut emineant,
quibus non obfuisset latere.
Hic, homicidâ mucrone aliorum sangvinem fundit,
ut sibi solus purpuram novi depingat honoris,
quæ ipsi non raro,
perpetuam ruboris appingit notam.
Ille vulnera, fraudes, cædesq; nefandas ciet,
quasi per cumulum morientium in altum ire, licitum esset.
Hanc ob Causam
(si licet infandum renovare dolorem)
Lechus Secundus cum Germano non secundè procedit,
ipsius morte, viuere volens
Popielus
Vt se firmâsset in suo honore, infirmitatem finxit,
Patruos enecavit, quos ad se vocavit.
ratus: venenum quo ipsos peremit,
vitæ suæ antidodum fore.
Romani quoque
Fraterno primi maduere Sangvine muri:
Sanè
hæc vertigo plurimorum ingenia rotat,
ut studeant eminere

etiam

etiam cum cæterorum injuria.
Ceu gnari non essent,
ejusmodi ascensum veriùs descensum esse;
impijsq; nullam latebram tutam.
Semper tales competitores honorum,
miseri!
Talionis experiuntur legem.
Lineâ relabuntur eadem, quâ sublimantur.
Idem ferrum quo Lesco est usus ad solium,
suas in illo vindicavit plagas.
Ijdem equi, quibus vehebatur ad coronam,
illius mortis fuere vectores,
plurimi;
qui alios depressere, ut se erigerent
æqua lege
Phænomenorum disparuerunt more.
Hæc nemine reclamante nonnisi justa honoris possesio,
quæ virtuti vel sapientiæ sine cæde cedit,
justior si utriq; simul,
correspondens meritorum æquilibrio.
Nullum timet fatalem casum,
qui his gradibus in altum procedere novit,
& ejusmodi stabilitur columnis.
Turbari de honoris possesione quid sit? ignorat,
qui illam legitimo virtutis sapientiæ ac meritorum
conseqvitur jure.
Hoc in Te Apodictico probatur argumentô
Perillustris Clarissime & Admodum Reverende Domine
D. M. GASPAR TOPINSKI,
Juris Utriusq; PROFESSOR, & Licentiate Ecclesiarum Colle-
atæ SS. OO. CUSTOS, S. NICOLAI ad Crac: PRÆPOSITE,
qui pro Doctoratûs in Iure Vtroq; honore
jus omne conquisivisti;
ut illius, justus existeres Possesor,
mereri priùs maluisti honorem, quàm habere.
Priùs ad chartas doctissimi pallescebas laboris,
antequam Doctorali adornareris murice,
Quâ virtutis, quâ eruditionis, Professoralis
mul-

multam ſemine laboris Tui collegiſti meſſem,
ne ex nihilo Doctor creareris.
Doctis Tuis temporibus facta eſt laurea, non nata.
Quòcunque proceſſiſti; meritorum veſtigia imprimebas,
Tibi gradus ad altiora fabricando.
Antequam renuntiareris I. Vtriusq; Doctor
Priùs in Areopago Iuſtitiæ, Conſiſtorio Cracovienſi
Aſſeſor dabas reſponſa Appollinis meliora
æque ac veriora, quia illa
Magnus Divæ Themidis Myſtes & Arbiter
Præcipuus Roſarum fulgor
ILLVSTRISSIMVS & REVERENDISSIMVS Dominus
D. MICHAEL
in SLUPOW
SZEMBEK,
EPISCOPUS PAPHENSIS SUFFRAGANEUS
CRACOVIENSIS, ABBAS CLARÆ TUMBÆ
probavit æſtimavit.
Laus ſocrati fuit, quòd Delphico oraculô ſapiens
quondam comprobatus.
Quanta Tibi o Doctor laudis adorea!
ab hoc Præſule laudari, Cujus
Omne vèrbum Oraculum, quælibet actio
miraculum æmulatur.
Mirum eſſe non debet,
quòd tantus in culmine Doctoralis emineas Honoris,
qui ab ipſa tyrocinante paruitate
non promittebas magna, ſed exhibebas.
Sydera ipſa quàm benigno Cunabulis Tuis videntur
faviſſe aſpectu,
Magna Tua Indoles comprobavit.
Regium GASPARI Nomen Tibi impoſitum
Te heredem Regiarum virtutum indicavit.
Equidem,
à lacte nutritio ad lacteam probitatis viam formabaris.

Regio

Regio Nomini ex aſſe ut reſponderes
ad Regias veniſti Muſas.
In Regia Iagellonum Aula Literatorum Natione
nihil Regio animô dignum non egiſti.
Thronũ quendã in Tua capaciſſima mente ſunt nactæ Camænæ;
qualem illis nec annulus dederat Phyrri.
Artes etſi liberales dicantur;
Regio Tuo Nomini ac dotibus famulari; gloriæ ducebant.
Ipſa humaniora Studia aliquid Divinum
in Tuo ſapiebant ingenio.
Tota Literarum Provincia,
ad Tui Capitis ſedem Regnô videbatur potiri.
In juventutis vere autumnum prætuliſti.
Legum myſta futurus,
Naturæ antevertendo legem.
Virum Te ibidem geſſiſti,
innata morum comitate, moderatione
mentis, animi gravitate,
ubi alij crepundijs immorantur.
Culto Tuo ingenio ad pulverem ſcholaſticum
cultiori ac terſiori reddito,
Philoſophicis complacebas coronis.
Ambivit ultro Tua tempora laurus,
quæ quondam ipſum Appollinem evitabat.
Prototypon Virtutum Virorum corculum
Perilluſtris olim Clariſſimus & Admodũ Reverendus
M. ALBERTUS TOPINSKI,
Collega Major, S. Theologiæ Profeſſor, &c.
Tuus Ftater Germanus.
Fuit vnum delicium lauro,
illud integrum non putaret, ſi Te alterum non poſſideret.
Viror etenim hic, quem ex docto ſudore Germani Tui
Philoſophica habebat laurus, etiam Tibi in coro.
namentum cedere debebat.
Victor equidem eras

B non

non potuisti non Coronari.
Honestus Tibi ad frontium decus coronam gradus
fuit, calcatus ignorantiæ hostis.
Multos hic solo aspectu terret à Te extitit profligatus.
Vicisti illum antequam cæpisti pugnare.
Capitalis hic dicitur,
Caput occupat, ut totum hominem teneat captivum.
Acumine ingenij caput ejus abscindere nôsti,
quod ne unquam pulularet face diligentiæ alter
Hercules illud adurebas.
Noctes vertebas in dies, ne fugatus, ad Te verteretur hostis.
Lectioni eruditæ absque intermissione vacabas
ne ille suam legionem Te contra instauraret.
Hic tuus de hoste ignorantia triumphus,
laurearum certamini de Te aperuit campum.
Prima, vix Tua occupaverit tempora, & frontis gustavit sudorē,
protinus ad Te sitim accendit secundæ.
secundam equidem nunquam se putaret,
si Tui Capitis non potiretur majestate.
Cinxit illa caput Tuum, Tu illius rotunditati virtutum ac
magnarum qualitatum respondisti coronâ.
Quendam honorem sibi agnovit laurea,
quòd à Te fuerit suscepta.
Sapientis enim animus, et absq; Corona Rex est.
Ante Thronum Augustus qui mente non pumilio.
Paradoxum hic notare placet.
Laurus etiam Bellatoribus occasio quietis erat,
Tibi docti certaminis ex se materiam dedit.
Osculum pacis Te provocavit ad bella.
Annulus Doctoralis in Artibus liberalibus Te desponsauit labori.
Hoc enim enixo studiô adimplere volebas,
ut Doctor à docendo, Porfessor à satisfaciendo Professioni
Academicæ, remaneres.
evasisti desiderij compos.
Magister in Artibus declaratus, illas Discipulas effecisti
Nec una tantùm sed omnes sub Te proficere videbantur.
Omnibus sufficiebas unus, & singulis.

Studuit in Te Logica abstractioni suæ,
cui subtilitate ingenij, nimis intimè adhærebas,
Physica, Metaphysica suas in Te facile speculabatur causas
qui ferme intelligentia eras.
Ethica ipsa proprias à Te docebatur virtutes,
nec illa meliori in docendo uteretur praxi,
quàm si Te statueret pro Objecto ad imitandum.
Forma Virtutū factus, multos alumnos informare debueras,
Reipublicæ ad præsidium, Ecclesiæ ad ornamentum.
Dialectices in Classibus Novodvorscianis Professor,
ad gustum scientifici Porphirianæ Arboris fructus
ut omnibus essent,
Phæbeo Tuo operabaris ingeniô.
Logicales spinæ ne quempiam Discipulorum pungerent,
illas facilitate doctrinæ, commutabas in rosas.
Laboris Tui indefessi pedisequa præmia redidisti.
Nam sæpè gratis, *pænitet* esse probum.
Veri illi ingeniorum æstimatores
Perillustres olim Clarissimi & Admodū Reverendi

M. GREGORIVS OCHABOWICZ
S. Theologiæ Doctor, S. ANNÆ Præpositus.

M. CHRISTOPHORUS SOWINSKI,
S. Theologiæ Doctor & Profesor Collega Major,

ut Te ex æquo præmiarentur
quoddam inter se iniverant certamen.
Gregorius virtute ac meritis magnus, liberalitate in Ecclesiam
Divæ ANNÆ maximus, Te suis cumulabat gratiis,
Chrystophorus oppugnabat ijsdem.
Hic, in Senioratu Scholæ Divæ ANNÆ, gratiosos
spondebat favores.
Ille, ut Contubernij Philosophorum Seniorem ageres
Te sui affectûs convincebat argumentô.
Philosophus equidem cùm esses ipsi æmulus Stagyritæ

Contubernio Philoſophorum præeſſe & prodeſſe debebas.
Nactus ad diſputandum locum ampliſſimum
Nova ſemper in ſtatione Academica movebas argumenta.
Cumq;
Multa laboris ſpecimina, in antecedenti evidenter poneres,
Ampliſſimi Majoris Collegij Patres Conſequens intulerunt,
unanimiter aſſentientes,
ut Collega fieres Minor.
Servat ſuam magnitudinem etiam in Puteo Coloſſus,
Pygmæus in Gygantis collo vel cacumine Olympi
non deſinit Pygmæus eſſe.
TOPINIVS ad Magna Natus,
in Minori Domo ad Majora tramite
procedit recto.
Suſcipit, qui Achilleos expoſcit humeros,
biennalem Curſum fortis Athleta,
ut ſæpius victor, ſemper coronaretur Triumphator.
Contra quoſcunq; difficultatũ nodos, etiam plùs quàm Gordios
ipſe enſis, ipſe Macedo.
Nulla tanta obſcuritas Philoſophica poterat inveniri,
quam NEO-DOCTOR digniſſime
Tuo non illuminares ingeniô,
Facilis Tua explicatione Theſæi in labirynto perplexi-
tatum erraſſent Auditores, Ariadneum geſſerat munus.
Purpura Decanali adornatus,
toties illi purpuratum addidiſti decorem, quoties in diſcrimine,
certantium ingeniorum,
Clarior fulſiſti Cynoſura.
Extra domeſticam Arenam per publicas Diſputationes
multoties Tibi certare placuit,
ut Victor non unâ palmâ dignus appareres.
Explicandis Tuis Meritis, altius tandẽ Theatrũ fabricatũ eſt,
Juridicum nempe Collegium:
quod ut libentiùs acceptares,
In Te unum totius Almæ Vniverſitatis vota conſpirarunt.
Virtu-

Virtutes verò Tuæ Album dedere calculum.
Fortitudo non Nomine tantùm, cui præcipua incumbit
Academica moles,
Perillustris & Reverendissimus Dominus,
D. M. ANDREAS
KRVPECKI,
J. Uq; DOCTOR & Professor Ecclesiæ Cathedralis Gracoviensis CANONICUS, &c.
de Cujus manibus nunc Doctoralem capessis lauream,
ne Ordinum Academicorum resisteres assensui,
Te firmiter suo stringebat fauore,
In Regno Literario, qui ferme totus gratia est
Perillustris Clarissimus & Admodum Reverendus Dominus,
D. M. IOANNES
EKART,
J. Uq; DOCTOR & Professor Ecclesiarum Collegiatæ SS. OO. CANCELLARIUS &c.
Te suis invinculabat gratijs, ad Collegium
Iuridicum Tibi erat Præcursor.
Liberalia pro Te Vniversitatis ut agnosceres vota
Lydius ille ingeniorum lapis
Perillustris olim & Reverendissimus,
D. M. MARTINVS
WĘGRZYNOWICZ,
S. Theologiæ & Juris Utriusq; DOCTOR & Professor, Ecclesiæ Cathedralis Cracov:
CANONICUS &c.
Tibi suo liberalissimo favebat affectu.
Vnius omnes sensus hi legum Præsides erant,
ut Te suo Collegio adjungerent,
pro meritorum tuorum instantia, decretum formando.
Quare:

 Qui

Qui nunquam sinistram procedebas in partem, sidere dextro
Iurisperitorum Collegio, Sanctiori Themidis insertus Sacrario,
ut annulo Gemma.
Quamcunq; lectionem Professor tractas
ex illa solus nonnisi legitur audientibus profectus.
Prægrande Iuris Vtriusq; Corpus
Iam in partes, dividis ut faciliùs discatur,
jam totum animo prætefers,
ne aliquid cuipiam ex Te ad integrum desideretur
emolumentum.
Sive in Cathedra leges Iustiniani explicas, sive
Assesor ad Iudicia progrederis, timor sceleri justus,
spes certa triumphi habetur virtuti.
Quidquid verbis & operibus adimples hoc de jure est,
eoq; non simplici:
Ius Canonicum ipsa facilitate faciliùs discitur ex Te
qui Canon virtutis es, & Regula morum.
Ipsis volantibus horis in Tua Professione promptior
observaris.
Horam quæ Lectionem concernit, ne Te præveniat
prævenire soles, omittis nunquã, illius omni invigilas momento,
etiam Tuo incommodô, aliorum commoda quærens.
Vtilior nihilominus semper esse mavis, quàm videri.
Verbis uteris, illis quæ oracula dici possent,
Modestiam Virtutum servando custodem.
Sed
Vbiq; scientiarum circumferens theatrum,
iterum aliò destinaris.
Ad æquam Astreæ lancem dum æquitatem doces,
Virtutes in medio asseris consistere,
Ipse de medio Virorum Iurisperitorum
intendis movere gressum, nunquam pectoribus,
eorum exiturus.
Immo,
Hoc ipso illorum affectui inviscerari multùm,
quod uni loco non natus, Beneficiũ acceptas cum egressu.
Pro meritis equidem Tuis sic forsitan disponendus eras,
ut Vniversale magnarum virtutum subiectum manens,
de

de quo pridem multi prædicârunt labores,
Parochialis Ecclesiæ S. NICOLAI susciperes Præposituram,
illi ac Collegio æqualiter responsurus.
Fratris Tui Germani prænominati
Viri Sanctimoniâ vitæ celeberrimi; in Republica Literaria
omni memoria dignissimi cum semper Imitator esses,
etiam in Præposituram succedere debebas,
ab ipsis meritis electus.
Tristabatur Vesolovia, quod suũ Pastorẽ amiserit Adalbertum
Te Gasparum natu tantum Adalbertô minorem
suscipiens, suæ restituta lætitiæ.
Multiplicat sua gaudia ipsa Ecclesia
Te talem tantumq; tenere Præpositum,
qui illam pretiosa adornas supellectili,
Auro Nicolai, addis Aurum: Beneficij Benefactor existis.
Quid agis Calame!
Extra Collegium Iuridicum Neo-Doctorem scribis,
intra Collegium est,
raro exemplô
In Ecclesia Pastor, in Cathedra Iurîdica Professor
Vtriq; muneri adeo respondens,
acsi uni intentus esset.
Ad Doctoralem in Iure Vtroq; Lauream
non simplici procedit jure.
Trinum omne perfectum est.
Sic NEO-DOCTOR eximie cum Vir omnis perfectionis
existas,
Triplici virtutis Sapientiæ ac meritorum uteris jure.
Trina Auri massâ Divus NICOLAUS quondam inopi
am ditavit.
Ecclesiæ illius Præpositus, trino hoc jure, ipsum honorem
divitem ac pretiosum reddis.
Applaudit sibimet ipsi DOCTORALIS Honor
quòd tam legitimum habeat Possesorem.
Nec illi minor plausûs valor accedit,
dum cum Illo capessis Lauream, qui
Virorum pretium est ipsaq; æstimatio

Perillustris Clarissimus & Admodũ Reverendus Dominus,

D. M. JOANNES LUKINI,

U. J. Licentiatus & PROFESSOR, Ecclesiarum, Collegiatæ Vislicensis, & SS. OO. Crac: Primicerius, Parochialis Sławcoviensis PRÆPOSITUS, Contubernij Jagelloniani PROVISOR,

JOANNES hic, qui voce sua ipsam Themidẽ animare videtur,
Atlanteis fermè humeris
Generalis Almæ Universitatis PROCURATOR
multam curarum bajulat molem;
In Tuo semper recumebens pectore
nunquam ab illo patitur avelli.
Juris Utriusq; DOCTOR non aliter renuntiari voluit, nisi Tecũ.
Extra Pòëtarum commentum,
tres, in se uno circumfert gratias,
ut Tuo Triplici ad Doctoratum complaudat juri,
Cui
etiam Officiosa penna jure debitæ venerationis victa
Votorum acclamationes ingeminat festivas.
Viuè NEO-DOCTOR Meritissime
Ecclesiæ, & Literario Regno.
Quò Te sapientià ac merita vocant,
affectus intimè voventium præstolantur
Perge feliciter.
Doctoralem in Iure Vtroq; capessens laurum
nunquam adversorum fulmina experiaris..
Lentis meritorumi incrementis hic Tibi honos crevit
in illo fortunatus perenna.
Ius Triplex tot documentis Tuis roboratum.
nullius malevolæ Sortis impetus
Audeat violare.

Permissu Magnifici Domini RECTORIS.